5

ADEUNTE PRIMUM

AD TARVISANAM EPISCOPALEM CATHEDRAM

ILLUSTRISSIMO REVERENDISSIMO D.D.

JOSEPHO GRASSERIO

ORATIO

HABITA IN ECCLESIA CATHEDRALI

AB ANTONIO PELLIZZARI CANONICO

JUSSU ET NOMINE ILLUSTR. AC REVEREND. CAPITULI

ANNO MDCCCXXIII.

VENETIIS

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI PICOTTI

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO.

Quis gaudio sit modus? Quis a gestienti temperet laetitia? Quis in tanta, tamque communi exultatione non exsiliat, non incredibili quadam, et impotenti jucunditate efferatur? Sextus hic annus est, ex quo tarvisana Ecclesia orbata Pastore, post decessum videlicet Bernardini Marini, Pastorem quaerit, Patrem exposcit. Ecce tandem optatissimus dies, quo positis viduitatis vestibus, omnique squalore, splendenti amicitur cyclade, suisque ornatur monilibus, totamque se ad jucunditatem componens, vultu, oculis, habitu, internae exultationis magnitudinem suavi-

Digitized by Google

tatemque praesefert. Nonne vides quemadmodum templum hoc nova quasi luce illustretur? Sed et caeterae aedes sacrae, civium domus, viae ipsae, et fora insolita quadam venustate renident. Quid? jam gravissimum Canonicorum Collegium, jam clerus universus, civitatis ordines, agrorum denique incolae, quacumque latissimae tuae diaecesis ambitus patet, oppida, pagi quam laeta ac fausta de Te ominantur! tuumque nomen acclamatione et plausu per compita, et per domos ingeminare gaudent!

Sed num quid est, quamobrem tam commune gaudium aliquis, tamque concordem voluntatem, atque aemulationem miretur? quandoquidem non Episcopum modo, post diuturnam privationem (quae quidem justissima, et gravissima foret causa laetandi) sed eum

Digitized by Google

Episcopum consecuti sumus, qui tanta praeditus est virtute, ut satis oratione laudari nullo modo possit. Praevertit enim jampridem, praevertit adventum tuum, P. A. frequens fidelisque nuntius, qui nos de tua pietate, fide, prudentia, omnique genere virtutum; qui de literis insuper, ac scientiis, quibus excellis, multa doceret. Attamen haec omnia silentio praeterire cogor, ne tua modestia aegre ferat, mihique succenseat, si quae ipse a mortalium oculis removeri, atque in intimis animae recessibus occuli, ac delitescere magnopere exoptas, ea ego publica laudatione prosequerer.

Talis ergo *cum sis*, ut quidam ait, *utinam noster esses*: sed hodiedum noster es et Summi Pontificis auctoritate, et supremi Imperatoris et Regis nostri

Digitized by Google

dono, et tua voluntate. Quid, quaeso, si et origine Te nostrum esse contendero, italo scilicet genere prognatum? vide quid animum subeat: quomodo nova dilectionis argumenta perconter, ut mutuus utrinque amor suam libere totam exserat vim; quandoquidem natura duce in eos, quibuscum sanguine, patria, moribus, vel quacumque alia necessitudine conjungimur, majori ardentiorique benevolentia et dilectione feramur. Quod autem sum dicturus, id tacita jam cogitatione praecepisti: neque enim Te praeterit, A. P., Rhaetos, sicut a Livio, Plinio, atque a Justino discimus, ex illa florentissima olim Tuscorum natione, cujus late terra marique opes patuere, adversante fortuna, ab hostibus superatos, relicta patria, sese intra Alpes recepisse, ut novas il-

Digitized by Google

lic pacatasque sedes collocarent. Propterea quae Te patria genuit, de Te jure meritoque laetetur, sed non moleste ferat, si sua, prope dixerim, jura Italia vendicet, et tuam, tuaeque patriae laudem, cum italae gentis gloria conjungat. Quare hic quoque inter tuos versaris, patriaeque antiquae, quasi postliminio restitutus, non ut civis modo, sed praeditus, quod lucro apponimus, Pastoris ac Patris potestate.

Quae cum ita sint, Deo Optimo Maximo in primis, tam praecellens donum tamque singulare acceptum referimus, eique maximas immortalesque agimus gratias; sed et Sanctissimo, omnique laude dignissimo, Pio VII. Pontifici Maximo gratiam habemus; qui pro sua admirabili sapientia, qua Ecclesiam universam gubernat, et laetificat, tarvi-

Digitized by Google

sanam quoque Ecclesiam adeo benigne respexerit, eamque insigni tantoque beneficio cumulandam censuerit, ut Te huic Pastorem, ac Ducem praeficeret.

Summi vero invictique Imperatoris et Regis nostri bonitatem et aequitatem, qua verborum gravitate et copia commendem? qua animi contentione, ac vocis exornem? Ipse enim primus, quemadmodum sancitum fuit, nomen tuum, P. A., Sanctissimo Pontifici Maximo protulit, ipse tanta tarvisanam civitatem, populumque clementia complexus est, ut Te de manu in manum nostram, ut dicitur, tradiderit; maluitque viro strenuo, sibique utili carere, quam orbitati, temporique nostro deesse. Quod tam grande, praestantissimumque beneficium, memoria colemus sempiterna.

Digitized by Google

Jam vero ex illa, qua apud piissimum optimumque Imperatorem et Regem nostrum vales gratia, spei lux magna nobis oboritur fore, ut facilius Ecclesiae tuae necessitatibus prospicias, atque ea ornamenta, et adjumenta comparare et consequi possis, quae non modo ipsi decorem, atque venustatem, verum etiam robur, tranquillitatem, incolumitatemque concilient. Cum ad diaecesis hujus gubernacula jam tandem accesseris, cum jam ad clavum sederis, circumspice, quaeso, quoquoversus, cognosce, quo se modo habeat exigua haec pars totius ovilis Christi, quae Tibi custodienda et pascenda traditur. Multa sane a majoribus nostris, multa a decessoribus tuis, gravibus sanctisque Episcopis, optime constituta fuerunt; decreta, le-

Digitized by Google

262

gesque plurimae latae, atque in usu positae cum ad religionis cultum, tum ad mores spectantes : quae omnia sarta tecta, ut ita dicam, praestare et tueri curavit doctus ille atque eximius vir, qui singulari prudentia, fide, religione diaecesim universam per hos annos vicaria auctoritate rexit, atque administravit. Sed de his non est cur hoc loco plura dicam; cum nihil sit opus verbis; ubi Tu mox possis re cuncta recensere, penitusque cognoscere.

Quapropter in illud potius sermonem convertam, unde malorum cohors infesta manavit. Nam procellosus in Italiam sicut in alias quoque Europae partes irrupit turbo (quod Te latere nullo pacto potest) tantamque rerum omnium perturbationem attulit, ut plurima, quae suis recte innixa fundamen-

Digitized by Google

tis communi omnium bono atque utilitate perstarent, dejicerentur, nova atque immania vi ac minis in illorum loco collocarentur. Jam immites copias vidisses (horresco referens) hac illac debacchari, domos, templa pervadere: ubique armorum strepitus, ubique terror, furta, clades, ruinae. Ecce tibi, eheu! quam multa solo aequata templa: alia impie violata, usibusque profanis addicta: altaria qua eversa, qua disjecta, et conculcata. Ipsae sacrae caenobitarum domus, atque innocui recessus, vel excisi, vel procaciter conspurcati: ipsique Ascetae in fluctus ac vortices humanae perversitatis projecti. Hinc malorum orta seges, hinc prolapsa religio, hinc vitiis atque impietati patefacta via est. Quorum perpessione malorum nonne squalet

Digitized by Google

2b4

adhuc lacrimabilis Italiae facies? velut ager, aut hortus ubi in eum furens irruit prester, et sata pomiferasque arbores grando depopulata est. Sed quorsum haec memoro? Quorsum? ut Tu, P. A., Ecclesiae hujus tuae malis commotus illud impense cures, cum multa apud Imperatorem et Regem nostrum gratia valeas, ut ejusdem favore, et auxilio, quae sunt collapsa, reparentur, quo fiat, ut quae diminuta est religio, ac debilitata, novis inditis viribus, roboretur, et laeta, sicuti par est, tandem aliquando reflorescat. Jam vero quidquid tua prudentia, ac pastorali sollicitudine, aggrediaris, feliciter tibi cessurum confidimus; non enim eo adducta res est, ut in melius verti labore, ac studio, non facile possit. Etenim nihil est, cur pertimescas cum

Digitized by Google

in eam civitatem adveneris, quae ad omnem humanitatis laudem comparata est, quaeque cultu pietate, majorumque exemplis et norma commendatur, in civitatem literarum ac scientiarum amatricem, et cultricem; inter populum religioni devinctum, et Pastoris voci parentem.

Quod si qui forte fuerint, qui ad sanam mentem redire, et resipiscere detrectabunt, habebis profecto unde eos in officio contineas eorumque stultitiam ac pravitatem compescas: ne, praeter quam quod seipsos improbis moribus quasi veneno confecerint, aliorum quoque mentem et animum letale virus inficiat. Habebis, inquam, unde horum furorem cohibeas; nam Tibi praesto erunt magistratus, ut Tibi obsecundent; qui cum omni sapientia, aequitate, ac

Digitized by Google

religione praestent, Teque peculiari aestimatione, et caritate prosequantur; nullo Te modo rebus in dubiis deficient. Quibus igitur lectissimis, optimisque viris, qui piissimi Imperatoris, et Regis nostri jussu et auctoritate rem publicam moderantur, non amplius impune, et propalam patiaris divinas atque ecclesiasticas leges, et sanctiones, maximo Religionis dedecore, negligi, et violari.

Magnum sane opus aggrederis, A. P., magnum onus tuis est humeris impositum, onus inquam, Angelicis humeris formidandum! Sed de tam mirabili, praecellentique muneris hujus atque officii dignitate, ac ratione, non ausim disserere, ne aut minus apposite loquar, aut Te, qui optime haec omnia noris, velle docere videar. Et re

Digitized by Google

quidem vera, divinus ille splendor tantae dignitatis et excellentiae, perstringit mentis oculos; quo perculsus animus abjicit se, deque inscrutabili humani generis reparatione, ac de Christi gratiae dispensatione, sermonem texere reformidat. Quod si et difficultates respiciam, ac pericula, quibus infernus hostis eos maxime qui praesunt, in discrimen vocat ac lacessit, quanto me terrore concutiunt, atque exanimant!

Utcumque tamen se habeat res, nulla tuum labefactet animum vis timoris; nam quae caelestis in Te per manuum impositionem descendit gratia, robur addet: tantae siquidem virtutis est, ut vel infirmos debilesque confirmet, possitque quisque dicere cum Apostolo, *omnia possum in eo, qui me*

Digitized by Google

confortat. Aderit praeterea Angelus, cui commendata a Deo est haec Ecclesia: aderit S. Petrus; in cujus honorem templum hoc vetustissimum omnipotenti Deo discipulus ejus Prosdocimus erigendum curavit, quod hodie in novam hanc splendidam, elegantemque formam distributum, sed mancum adhuc, atque imperfectum, ut tuae vocis, atque auctoritatis opem opperiri videatur: aderit S. Liberalis, caeterique Sancti cum urbis, tum diaecesis Patroni: aderit B. Henricus, qui conterraneo, pene dixerim, suo, et quasi *συμπολίτι*, obviam occurrens, dexteram porriget, jubebitque Te bono esse, fortique animo; ut sicut ipse, ex iisdem regionibus profectus, tarvisanam civitatem vita, sanctissimisque moribus, legem Christi tacita quasi

Digitized by Google

praedicatione edocuit; Tu totius Pastor gregis voce, eloquentia, auctoritate, imperio, singulos ad rectam vitae institutionem, et ad omnes virtutes christiano homine dignas vel invitos compellas.

De Seminario autem num quid dicam? Quidni? non enim ejus memoratio praetereunda est, cum nihil sit, quod Te delectare magis, nec magis juvare valeat. Hic enim literis, optimarumque artium studio excoluntur adolescentes, qui Regi operam praestent suam, qui patriam illustrent, qui parentes familiamque condecorent. Hino illi prodeunt sacerdotes, quos in operis tui societatem asciscas, cum necesse sit in tam multiplici munerum officiorumque varietate, sicut et Apostoli facere coacti sunt, ut aliorum quoque

Digitized by Google

270

minorum sacerdotum ministerio atque opera, utaris. Hoc itaque in loco dogmatibus et doctrinis imbuuntur adolescentes clerici, non novis et peregrinis, non incertis ac fallacibus; sed iis, quae ab Ecclesiae catholicae mente, a Conciliorum statutis, a Patrum denique consensione minime abhorreant. Quam igitur curam diligentiamque in hoc sapientissimum, saluberrimumque sacrosancti Concilii tridentini institutum, contuleris; in universae diaeceseos bonum felicitatemque redundabit; siquidem ex hoc Seminario, quod nomen ipsi aptissime congruit, viviradices et plantae, in diversas praediii totius partes transferuntur; quae tanquam lignum secus decursus aquarum dabunt fructum suum in tempore suo. Optime enimvero factum est, ut

Digitized by Google

clerici velut in domo tua, ac tuis sub oculis adolescant, quo possis commode singulorum mentem, ingenium, moresque rimari, et perpendere; ne id unquam fiat, quod Ecclesiae maxime interest, ut alicui cito manus imponas.

Oblectationem vero dabit non mediocrem aliorum studiorum ratio, cum saepe palaestras et ludos adolescentulorum invisens, eorum conatus atque aemulationem, experiere; eosque videris juvenili ardore inflammatos ad illustrem ingenii, ac virtutis palmam, contendere. Quod si gratum et suave antehac tibi fuerit, quod nullus dubito, multorum studia juvenum, exercitationesque, tua jam in patria per Rhaetiae fines fovere et moderari, qui tuis rebus minime erant profuturi, in quo magnam profecto laudem tibi peperi-

Digitized by Google

sti; horum qui tui sunt, et quasi filiorum loco, quique se ita Tibi dediderunt, ut nihil potius desiderent, quam ut Tibi, et Ecclesiae prosint, mentes animosque excolere, quanto erit jucundius?

Ad Philosophiam porro quod attinet, nulla tuam suspicio mentem subeat, potuisse aliquando intra hanc bonarum artium custoditam arcem clam irrepere hominum illorum somnia et deliramenta, qui personam, ut ita dicam, Philosophiae induti sacra et profana juxta aestimant: omnia miscent ac perturbant; et cum ipsi capti oculis nihil recte dispiciant, caeteros cimmeriis veluti tenebris circumfusos errare, et prolabi ad ravim usque clamare minime perhorrescunt. Quid plura? Spero enim Te, cum singula ju-

Digitized by Google

dex et arbiter cognoveris, rerum studiorumque rationem probaturum. Si igitur isthaec musarum sedes, scientiarumque domicilium, aliqua unquam laude et gloria claruit, sub Te auspice et patrono florescet quotidie magis, idque Tibi curae erit si cum animo reputes famam decusque hujus instituti cum hujus praeclarae urbis felicitate, cum totius diaecesis recta gubernatione, et cum tua gloria esse conjunctam.

Sed ne diutius abutar tua patientia finem faciam, simulque oro, ut quae dixi, in bonam partem accipias. Illud interim velim Tibi persuadeas, insigne hoc Canonicorum Collegium, quod a Tridentino Concilio Ecclesiae Senatus nuncupatur, cujus ego Te, jussu, et nomine alloquor, tum clerum universum, cunctos civitatis ordines, si-

Digitized by Google

mulque populum Tibi fausta acclamare; Tibi, sibique ipsis gratulari, quod haec dies illuxerit, in qua Te Pastorem, et Patrem nacti sumus qui spem nostram erigis, ita ut in tua virtute, ac sapientia, mens nostra animusque conquiescat.

5831534

Digitized by Google

376

Digitized by Google